

gressi, manū cum nostris qui manē oppido exierant, cōseruerunt: cūmq; hostiū copiæ summissis è castris auxilijs crebrò augetur, nostrósq; vires lassitudine deficerēt, Nothus Aurelius equitū copias illis summittit, quorum primum impetum equites hostium non tulerunt, sed admissis equis ad suos refugerūt: relictī ab ijs qui vnā procurrebant pedites, circumuenti ab nostris, atque interfecti sunt. Eodem die II. calend. Aprilis, Ioanna virago Lotharinga, quæ Blesis aduersus Anglos expeditionem parabat, ad eos in castra fœciale (quem nos Araldū appellamus) cum literis magnis verborum ambagibus cōscriptis misit, quarum tamen hæc erat summa: videri sibi impiè crudelitérq; facere Anglos, qui per occasionem proditi ac demortui Caroli sexti de imperio totius Frãciæ cogitandū sibi existimarent. Propterea se prope diem cum exercitu vindicandis iniurijs quas Franciæ intulissent venturam, processurámq; infesto exercitu: ac si quis cōtra resisteret, prælio decertaturam, secūdisimis Dei opt. max. auspitijs, qui pro iusta causa stare cōsuesset. Neque enim defuturum Deum, sicuti antea aduersus violatores fidei, & humani iuris & religionis contemptores, nunquam ex merito defuisset. Quare eos rectiūs facturos, si Francia statim excederent, & dimisso exercitu in Angliam reuerterentur. Quòd si hanc conditionem repudiarent, superbáque & exitiali contumacia, furto quodam arreptum regnum, quod Francorum regum

gum